



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 29. De facultate vitali, ad tex. com 61.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

COMMENTARIUS LXI.

Hic finem habet tractatio de alimento, deque vegetante anima & eius facultatibus atque operationibus. Quare concludit; figura, hoc est vniuersè duntaxat & quatenus ad has animæ facultates cognoscendas & separandas necessarium erat; dictum esse, quid sit alimentum, quas scilicet conditiones habeat, & quatenus sit animæ vegetantis obiectum. Accuratius autem & magis speciatim agendum postea proponit in propriis de ipso sermonibus. Aueroës libros de animalibus intellexit; in quibus partes exponentur & instrumenta, quæ hinc animæ operationibus, quæ circa alimentum versantur, dicata sunt. Philoponus & Simplicius libros de animalium procreatione; in quibus dicitur de semine, quod pars quædam est alimenti superflua. Sed neque libri de historia aut de partibus animalium intelligi possunt: quoniam illi libros hoscæ de anima antecedunt. Neque ij, qui sunt de animalium procreatione: quia estis posteriores sint, atque in illis dicatur de semine ac partibus procreationi dicatis; ea tamen non est accuratior tractatio de alimento, quam nunc Philosophus pollicetur. Pollicetur. n. se dicturum de alimento, non solum ut est superfluum nutriendi & vile procreando; sed etiam de alimeto ad nutriendum apto, de quo pauca quædam hoc loco exposuit, quæ ad distinguendas has facultates necessaria videbantur. Immo accuratius multò de illo egit in hoc libro, & verò etiam in primo de ortu & interitu, & in 4. meteororum, quàm acturus sit in libris de animalium procreatione; vbi non de alimento, sed de semine differet. Quod igitur nunc pollicetur, existimo cum Themistio proprium quemdam esse & peculiarem librum, quem de alimento pararet Aristoteles; in quo accuratè magis & in specie de alimentis ageret. Is autem liber, aut ab eo postea absoluti non potuit, aut absolutus ad nos non peruenit: sicut & alios plurimos perijisse scimus, quos Laërtius commemorat, alijsque complures.

Digressio xxix. De facultate vitali.

Tres duntaxat vegetantis animæ facultates, altricem, autricem, procreatricem, de quibus hætenus dictum est, commemorauit Philosophus. Neque plures in plantis conspiciuntur, in quibus ea sola est anima. Quocirca finem habere posset huius animæ consideratio, nisi in animalibus quædam alia cerneretur operatio, quam non ad sentientem animam, sed ad hanc ipsam vegetantem pertinere certum est. Ea est, qua cor & pulmones mouentur, & respirat animal, & gignitur in corde spiritus, ac denique in toto corpore pulsant arteriæ. Nam cum vita sit animæ vegetantis effectus, hæcque omnes operationes ad vitam in animalibus plerisque conseruandam ac retinendam sint in primis necessaria; facultatem hanc vitalem appellamus, cuiusque tractationem

A vegetantis animæ propriam esse existimamus. Quare iis, quæ de cæteris facultatibus ad Aristotelis interpretationem hætenus disputata sunt, aliquid de hac item addendum est.

Conuenit inter omnes, inesse in quibusdam viuentibus hanc facultatem, spiritus opificem, respirationis, ac pulsus: non tamen in omnibus; quoniam nec in omnibus hæ operationes cernuntur. Quenam enim earum in plantis conspiciatur aut stirpibus? verum in solis animalibus. Neque in vniuerso animalium genere; sed in calidioribus duntaxat & sanguine præditis; quæ cor habent perennem caloris copiosioris fontem in reliquis corporis partes deriuati. Hæc enim sola producere possunt vitalem spiritum, respirare, atque arteriis pulsare. Quam ob causam non deserunt aliqui non ignobiles sanè auctores, inter quos Turisanum placet commemorare in 2. commentariorum libro in paruum Galeni artem particula 12. & 35. qui dixerint, nequaquam esse nominandam facultatem vitalem, quod non in omnibus inest viuentibus; sed spiritalem potius; quod potissima illius operatio sit confectio spiritus. Cuius rei illud etiam videtur esse argumentum, quod cum vita sit effectus formalis animæ; ea in toto viget corpore, non in vna aliqua determinata parte; quemadmodum hæc facultas corde & arteriis contineri existimatur. At neque in vocibus hærendum est, neque necessarium appellationem mutare. Siquidem propterea vitalis nominatur, quod vitam tueatur, & in corpore conseruet animam: non quod ipsa sit vita, aut formaliter adferat vitam. Quod si mutare nomen oporteat; sicut nominari spiritualis potest, quod spiritum consiciat; ita & pulsatis appellabitur, & respiratis; quod pulsus & respirationem efficiat: aut si malueris, à subiecto, in quo inest, virtutem cordis nominabis.

Verum enim uerò vbi de nomine constiterit, *An sit* difficilius multò & grauior de re ipsa oriatur quæ- *facultati* stio; num sit facultas à cæteris omnibus distin- *à cæteris* cta. Negant ferè Peripatetici, propterea quod *distin-* eorum princeps Aristoteles, dum animæ facul- *ctia.* tates diligenter & accuratè peruestigaret in hoc *Peripa-* secundo libro de anima, nusquam illius meminit; *teicorū* quasi sub vegetante contineri existimaret. Et rur- *optimo:* sum dum vegetantes facultates distingueret, nutrientem, augentem, & procreantem numerauit, vitalem non nominauit. In sentientibus autem, appetentibus, mouentibus, aut intelligentibus facultatibus eam habendam esse, nec vllibi indicauit, nec prorsus iudicauit. Idcirco Aueroës interpretationem faciens quarti capitis libri tertij de animalium partibus, & in secundo colliget capite septimo Galenum grauius reprehendit, quod eam à cæteris distinxerit: omninoque contendit, non esse à vegetante diuersam; quod ex medicis quoque Turisanus confirmauit. Et certè neque ex vlla operatione distinctio colligi potest; neque vlla illius necessitas apparet. Non enim necessaria est ad conseruandam vitam; quia cum vita sit ipsa vegetans anima ut est in corpore; quemadmodum illa ostendunt Aristotelis verba in textu 37. Viuere viuentibus est esse; ea satis conseruatur opportunis materiæ dispositionibus, congruenteque membrorum corporis conformatione; aut etiam nutritione &

accretionem, ut in textu; idem fuit auctor. plantaeque & animalia plurima absque hac facultate viuunt. Neque est, quod spiritus generationem & pulsus præterdat Galenus. Quoniam spiritus ex sanguine gignitur actione sola vehementis caloris, qui corde continetur, partesque sanguinis tenuiores ressoluit. Pulsus autem, tum cordis, tum arteriarum, eam habet causam; quod is calor in tenuissimo illo spiritu maxime mobilis est. Respiratio quoque generationem insequitur spiritus, & dilatationem ac compressionem cordis; in quo quia nimius est calor, quo & ipsi & propinquiora cætera membra sicari potuissent ac nimium æstare; arteriam asperam prouidit natura, qua dum cor dilatatur & comprimitur, inspiratur ac respicitur aër, quo cor & interiora illa membra refrigerentur. Denique aut hæc facultas naturalis esset, aut cognoscens: nullus cognoscens esse affirmabit, quoniam omnia illius opera sine cognitione perficiuntur; neque naturales facultates plures numerantur, quam tres illa iam commemorata. Si igitur hæc facultas à cæteris distingui debeat, hoc vnum superest, ut plura, quam quinque sint facultatum genera.

Galenus Cæterum contra Peripateticos hosce pro distinctione huius facultatis ab omnibus reliquis pugnant plerique medici; ac præsertim Galenus in libro 5. & 7. de Hippocratis & Platonis decretis, & libro 1. de naturalibus facultatibus, & in libro de usu pulsuum, aliisque in locis, & ex Philosophis S. Thomas in opus. de motu cordis. Nec aliis rationibus pugnant, quam effectibus, qui proprii facultatis huius esse videntur. Operæpretium verò fuerit singula diligentius persequi, quæ pro illorum causa possunt adferri. Facultatem hanc illiusque operationes paulò ante affirmavi non in omnibus vigere viuentibus; sed in solo quodam animalium genere perfectiore, quod habeat sanguinem. Horum animæ perfectiores cum sint, æquum est nobiliorem habeant modum, quo sint in corpore; ut magis habere videantur rationem actus, & quasi dominium in se ipsas. Hic autem in eo apparet, ut non solum in corpore conferuentur ab infimis illis dispositionibus & vilissimis qualitibus, quas eo tempore inuenerunt, quo ad illud accesserunt: Sed ipsæ quoque se ipsas quasi in eo conferuent; addita videlicet quadam alia præstabiliori multò dispositionis forma; nimirum perpetuo facultatis cuiuspiam in omnes corporis partes influxu, quo ita foueantur omnes & regantur, ut lubens in eis moeretur anima. Propterea residet hæc facultas in corde; hoc est in medio totius animalis, ex quo arteriæ ceu vasa virtutem hanc deferentia per totum corpus distribuuntur. Nam per spiritum ab ea facultate in corde genitum calor cordis diffunditur, qui cætera membra fouens conseruet in illis animam. Et ideo eum nil aliud sit vita, quam animæ permissio in corpore, vitalis facultas appellatur; quod vnionem hanc & permansionem, hoc est vitam, conseruet. Ita fit, ut dum in corpore conseruet animam, conseruet quoque ac plurimum iuuet facultates illius omnes atque operationes, quas in corpore exercet; dum membris, ceu illarum organis, calorem addit, quo & illorum singulis innatus calor foueatur, & verò etiam

De natura & necessitate huius facultatis.

Auctus operetur perfectius: & ideo reliquæ omnes facultates ab hac vna magnopere pendunt. Quoniam nisi illa calorem suum effundat & spiritum, reliquæ operari non possunt. Propterea enim cessantibus, vel ad breuissimum tempus, facultatis huius operationibus in corde; procreatione inquam & effusione spiritus, pulsusque, tum cordis, tum arteriarum, ac demum inspiratione aëris & expiratione; interire animal cernimus; nec posse animam in corpore permanere: eos verò, qui vehementem habent pulsus, magnamque spiritus copiam, diutius viuere, atque ad operationes omnes magis esse aptos ac strenuos, quam eos, qui & debili pulsu & exiguo spiritu sustentantur.

B Ex quibus omnibus iam primum intelligitur eximia dignitas summaque cordis necessitas in hoc animalium genere: atque hoc intellectum verissime affirmari, membrum hoc virtutis omnis & operationis in toto corpore principium esse. Est enim principium instrumentorum omnium, quæ operationibus cunctis inferuire debent; omnibusque calorem distribuit & spiritum, quibus operari possunt. Deinde, verè etiam fuisse superius constitutum, hoc membrum primum omnium in animali formari. Ea namque illius est vis ac potestas, ut reliqua omnia nec esse possint, nec operari: si quidem & animam in illis oportet actione huius facultatis cordis conseruari; nec possunt quidquam sine illa operari. Tertio; facultatem hanc quoad proprias illius functiones in solo vigere corde, & quoquo modo in arteriis. Quoad effectum tamen, qui est vitam terri atque operationem omnem promouere, sparsam esse & fusam per totum corpus. Quarto, posse quidem in viuentibus pluribus facultatem naturalem & verò etiam animalem sine hac vitali reperiri; quemadmodum in exanguib; & quæ carent corde manifestum est. Verum ea imperfectæ sunt; & ut in animalibus perfectioribus magis perficiantur, illam quoque adesse oportet; ut videre est in sanguineis omnibus & cordatis, in quibus hæc facultas magnopere perficit sanguinem & alimentum, quod naturalis facultatis obiectum est; animalique facultati subministrat materiam, vitalem spiritum, et quo is, qui animalis dicitur, procreetur. Quinto, iure optimo virtutem hanc cordis cum celesti virtute comparari posse. Principio enim sicut virtus vna cælestis inferiora omnia conseruat, atque ad omnes eorum operationes conseruat: ita facultas hæc vitam tuetur, & animalium perfectiorum, quæ sunt velut parui quidam mundi, naturam conseruat, omnemque actionem promouet. Deinde, ut cælum quæcumque agit, per lumen & motum agit; sic facultas vitalis omnia perficit per calorem & spiritum, seu maius per spiritum calidum, qui raritate ac tenuitate respondet luci; & per motum pulsus. Tum verò, quemadmodum ex celesti lumine, dum in alia atque alia materia suscipitur, alij atque alij effectus producuntur; ita nimirum ex hac vna facultate operationes omnes proficiuntur, quæ in animalibus cernuntur, dum illius virtus ad alia atque alia membra deriuatur. Ac demum sunt sane in vniuerso hoc corporeo lumen & motus instrumenta

menta intelligentiæ & cœli, tamquã primarum & generalium causarum. Intelligentiæ inquam, tamquam primi mouentis immobilis; cœli autem, vt primi mouentis ab alio moti; primi tamen alterãtis inalterabilis. At in animali vitalis spiritus & pulsus instrumenta profectò sunt animæ & cordis, tãquam generalium causarum eorum omnium, quæ in animali fiunt. Animæ quidem, tanquam primi mouentis ab alio non moti: cordis verò, vt mouentis ab anima moti. Quamquam quod ad alterationem pertinet, sit primum alterans, quod non nisi ex accidenti alteratur; cùm cibum & alterationem non suscipiat vt est cor, sed solum vt pars quadam est viuentis, quæ nutriti ipsa quoque debet & sustentari.

Hactenus exposita sit prima ratio, qua confici potest, facultatem vitalem in animalibus sanguine predictis distinguendam à cæteris esse; vt conseruet & foueat vitam, omnemque illius functiones iuuet & perficiat. Altera petitur ex operationibus, quæ ad alias facultates haud satis videtur reuocari posse. Nam spiritus procreatio ad nutrientem facultatem non pertinet. Tum quia hæc circa solum alimentum, non circa spiritum occupatur. Quocirca nec datur spiritus naturalis; quòd ea nutriendi operatio nequaquam indiget spiritu. Tum quia spiritus omnibus animalis operationibus utilis est immò & necessarius: non solum alterius similis procreationi; verùm etiam sensitioni & incessui: neque vllam ex his operationibus animalia calidiora possunt sine spiritu exercere. Quocirca cùm non ad vnã magis, quàm ad aliam reduci possit, constituere eam oportet tanquam facultatem ab omnibus diuersam. Deinde pulsus quoque operatio est animæ; neque ad mouentem facultatem pertinet. Tum quia hæc cognitionem insequitur & appetitum: pulsus & sine cognitione fit, & absq; appetitione: immò viget quoque in somno. Tum quia facultas mouens cum libertate operatur: facultas pulsandi naturaliter planè & necessariò. Illa fatigatur operando, crebraque indiget quiete; hæc nunquam opus suum intermitte, quòd fatigetur nunquam. Illa in permultis animalibus reperitur perfecta; in quibus nullus est pulsus. Illa in nervis præsertim residet, & in omnibus corporis partibus vim suam ostendit: hæc corde & arteriis continetur; & in spiritu potius, quàm in arteriis, esse videtur: siquidem spiritus potius inanimatus in arteriis pulsatur, quàm ipsæmet arteriæ. Denique duæ hæc facultates ad diuersos prorsus fines referuntur.

Ad facultatem porrò sentientem quis eam reuocet? Omnis enim facultas sentiens est cognoscens; atque in somno ab omni operatione quiescit. Pulsus nihil cognoscit, & in somno maximè operatur. Quas ob causas ad facultatem fortasse vegetatam cuiuspiã videbitur pertinere. At nec circa alimentum versatur, nec operationibus modò huius animæ utilis est, sed plurimùm item sensitionibus & motui de loco ad locum: contra verò reperuntur permulta, quæ absque hac operatione vegetant. Accedit, quod vegetantes operationes sunt in toto corpore: nutriuntur enim omnes & augentur, aut omnes saltem sunt ipsius viuentis & animati corporis: pulsus in solo corde & arteriis residet: neque ipsius animalis esse videtur; siquidem nulla ipsius pars pulsatur, sed inanimatus spiri-

tus corde & arteriis contentus. Atque vt vno verbo dicam, pulsus neque est nutritio, neque accretio, neque procreatio: neque præter has alia numerantur vegetantis partis operationes.

Dicit quispiam, pulsus attractione quadam constare & expulsiõne; quæ operationes huius animæ sunt tribus illis præcipuis ministrantes. At videat, num quælibet attractio ad animam vegetantem pertineat; an ea sola, quæ est proprii obiecti, hoc est alimenti & solidioris cuiuspiam rei, quàm sit spiritus aut aer. Neque enim attractio pulsus alimentum adducit; quin potius si vel minima illius particula arteriam asperam ingrediatur, plurimum lædit adfertque animali interitum. Adde, quòd hæ operationes vt ad nutritionem spectant, per venas fiunt & alia organa ab arteriis, in quibus est pulsus, planè diuersa.

Tertia ratio peti potest ex earum partium structura, quæ huic facultati famulantur. Quarum prima est cor, in quo ipsa tanquam subiecto proprio & fundameto sustentatur; maximeque finitèr ipsius sinus. Altera sunt arteriæ inde per totum corpus deriuatæ, vt spiritus virtusque hæc cordis ad omnia dimanaret. Tertia pulmones cordi velut flabellum insidentes. Hæc enim omnia membra non aliam ob causam fabricata esse videntur, quàm propter hanc facultatem. Neque omnino credi potest, cor membrum omnium præcipuum propria facultate carere, quæ in ipsomet operari possit; atque in eò dignitatem suam tueatur, vt ad cæteras omnes animalis functiones concurrat, omnesque ab illa vnã magnopere pendeant.

Postremò ad huius rei confirmationem adducunt medici, facultatis huius operationem posse in aliquo membro esse absque aliarum facultatum operationibus. Nam fit interdum, vt membrum quodpiam, neque nutriatur, neque sentiat, neque tamen putrescat.

Vtriusque partis rationes diligenter satis fuerunt expositæ. Mihi verò probabile sanè videtur id, quod contendunt medici; vitalem facultatem à cæteris omnibus esse distinctam; non tamen genus efficere facultatis primò diuersum ab aliis. Propterea quod generalis quædam sit facultas, quæ alias omnes & conseruare debeat & ad operandum iuare. Quare cùm proprium actum non habeat, qui per se expetatur, ad alias potius reduci-
*Autò-
vix sen-
tentia.*

tur. Nam etsi pulsus habeatis tamen totus ad cõseruationem & subsidium aliarum facultatũ est cõparatus, neque vllum proprium habet vsum. Idcirco etiam nec genus animæ diuersum constituit. Quia cùm animarum genera ex diuersis sumantur eleuationibus à materia; facultas hæc diuersam à cæteris eleuationem non significat. Sed est potius velut perfectio quædam vegetantis animæ atque sentientis administra; dum ad sensum & motum spiritum necessariũ suppeditat: cumque non polleat cognitione, eundem habet eleuationis gradum, quem vegetantis animæ facultates habent: & ideo ad hanc potius animam, quàm ad alias, reuocari debet. Deniq; neque viuentium aut animatorum genus diuersum facit; quòd numquam à vegetante & sentiente perfecta separatur. Hæc inquam probabilissimè dici possunt.

Sed tamen, vt liberè loquar quod sentio, nullam video necessitatem addendi facultatem à nutriente distinctam. Nam vt factum in vtero tacet arte-

riis pulsare, atque ita fouere calorem; nec tamen in illius corde spiritum gigni pulsumque diffundi; neque à vitali matris facultate pulsum illum effici posse; quoniam vitalis actus ab extraneo principio nequit proficisci. Nihil omnino aliud videtur esse, quam talis nutriendis animalis perfecti, quod vehementiorem calorem habeat. Nam quemadmodum quedam sunt animalia, quæ sanguine nutriendur, alimento in sanguinem commutato; alia sine sanguine nutritionem suam perficiant: nec tamen propterea in iis, quæ sanguinem habent, facultatem ponimus à nutriente distinctam, quæ sanguinem gignat; sed eum fieri affirmamus à nutriente, quatenus in animalibus hisce maiorem, quam in cæteris, calorem habet. Ita proflus ob vehementiorem calorem fit, absque alia facultate addita, quæ spiritum conuertat; vt eadem facultas nutriendis, quæ procreat sanguinem, ex eo adhuc arterialem sanguinem & spiritum gignat, tenuando magis & resoluendo priorem illum sanguinem. Deinde tenuissimus hic & mobilissimus spiritus immoderato calore agitatus efficit motum in corde; cumque apertas habeat arterias, nullo negotio effundit sese, atque eundem in arteriis, calore scilicet instigante, excitat motum. Propterea enim quò maiorem animal calorem habet, eò vehementiorem hunc motum sentimus. Hoc enim certissimo est argumento, motum illum à calore fieri. Calor potest ita cum spiritu per omnes partes diffusus mirifice recreat, fouet, & conseruat totum animalis corpus, omnesque illius operationes promouet. Vt quemadmodum alitrix facultas circa alimentum atque indiuidui conseruationem occupatur; ita hæc vitalis & idem obiectum habeat, & eundem finem. Ille namque ipse spiritus, & est sanguis quidem, & alimenti pars humida & calida: quæ per corpus distributa siccatis partibus ac refrigeratis opportuno humore & calore subueniat. Dumque crassiores sanguinem venis contentum tenuat, conuersionem illius in partium substantiam non parum iuuat. Quæ omnia ad perfectissimam alitricem facultatem, quæ in hoc animalium genere inest, certum est pertinere.

Ad efficiendam quoque respirationem pulmonumque motum excitandum quid alia opus sit facultate? sufficiens causa potest esse calor & sanguis in magna copia in pulmones irrupens, aut aliquid aliud, quod non multò post explicabitur. Denique non spiritu modò & calore in arteriis diffuso, sed & sanguine venis contento atque ad omnes partes deriuato animalium vita conseruatur: Nec tamen in iecore vitalem facultatem medici ponunt. Potest igitur vniuersa hæc vite conseruatio in facultatem nutriendem reuocari, ad quam tota indiuidui conseruatio pertinere videtur. Hæc enim & sanguine in venis & spiritu in arteriis optimè vitam tuetur: illaque ipsa, quæ venarum sanguinem facit, facit & arteriarum spiritum, tenuissimum scilicet sanguinem, vt vehementiorem nacta est calorem.

Hæc nimirum Aristoteli fuit causa, cur de vitali hac facultate nihil seorsum disputauit. Cùm. n. intelligeret, nequaquam eam esse à nutriente distinguendam, quæ & calorem maiorem & cum arteriis cor habeat, satis se muneri suo fecisse existimauit, dum de nutriende facultate disseruit. Verùm hac de re, tam ex medicorum opinione, quam ex certissimis peripateticæ scholæ decretis dictum sit satis. In

qua disputatione cùm medici quoque non omnino improbabilem sententiam asserant; ne nimis difficilis ac morosus ab illis iudicaret, placuit eam ita explicatam relinquere; vt posset lector veram mallet partem eligere. Nec tamen ita veritatem dissimulauit; quin facile quibus intelligat, vtrinam ego magis assentiar.

De Pulsu cordis & arteriarum.

Iam verò facultas hæc vitalis, siue ab aliis distincta sit, siue non sit, calore vtitur naturali ad gignendum vitalem spiritum, ad efficiendum pulsum, ad respirationem. Itaque agendum esset hoc loco de calore & spiritu, nisi de vtroque antea satis fuisset disputatum in li. de corporis temperatione. De pulsu & respiratione dicendum superest. Pulsum à veteribus non omnem arteriarum motum, sed eum solum, qui vehementior esset & sensu perciperetur, nominatum fuisse, primumque Hippocratem arteriarum quemlibet motum appellasse pulsum spiritum, auctor est Galenus in lib. cui titulum fecit, Quod animi mores corporis temperaturam sequantur cap. 8. sed parùm constanter loquutus est. Quippe in i. lib. de pulsum differentiis cap. 2. contrarium planè affirmat: primum inquit Hippocratem hac vsum fuisse vocem; nò cuiuslibet arteriarum motui hoc nomen attribuisse; sed Hippocrate posteriores Praxagoram & Herophilum. Verùm quidquid sit de nominis inuentore, multa certè de re ipsa disputantur: multoque plura à medicis, quam à Philosophis. Sed omnia penè video ex efficiente illius causa pendere, vt intelligatur, vndenam motus ille cordis & arteriarum oriatur, quem pulsum nominamus; dilatio inquam & contractio, seu eleuatio & depressio illius membri, quæ cõmuniter diastole & systole appellatur. Hoc n. constituto facile est de omnibus aliis decernere.

Turitanus ex sanguinis ebullitione in corde oriri credit. Is enim cū sit humidus, vbi ad cor peruenit, nimio illius membri calore incipit ebullire, tumescere, dilatari: eoque tumescente cor quoque & arterias dilatari & attolli necesse est. At quoniam motus sit hæc dilatio, subintrat ad cor frigidus aër, qui seruorem mitigat suoque frigore constringit; mox cordis & inde arteriarum depressio sequitur. At depressa substantia calida & terrens inflamatur rursus, dilatatur, attollitur: atque ita deinceps continuatur motus pulsu, dilatationis & depressionis. Quocirca plures in pulsu continentur motus: calefactio sanguinis & resolutio spiritus ac vaporis ex illa calefactione: tumefactio ex ea.

E facilius tumescit: dilatio cordis & arteriarum propter tumorem illum: frigidi aëris ingressus, propterea quòd cor & arteria magis dilatata sint, quæ materia tumuerit: frige factio ab ingrediente aëre adducta: densatio spiritus & sanguinis: compressio cordis & arteriarum, ac demum egressus aëris, qui subintrauerat. Vt non eadem sit dilatationis & depressionis causa; sed planè diuersa: neque ea sit anima, aut vitalis vlla facultas; sed calefactio potius & refrigeratio.

Hanc nimirum de cordis & arteriarum pulsu opinionem visus est habere Philosophus, cum in cap. vltimo lib. de respiratione tria distinguens, quæ accidunt circa cor, saltum, pulsum, & respirationem saltum voluit eam habere causam, quòd à circumiecto frigido externo compellitur ad cor calor,